

Heinrich Müller Johannes Lassenius

Disputatio Philologica in secundam Clinodii Davidici, Quod continetur in Psalmo XVI. Partem, Exhibens Triumphum Salvatoris Nostri Jesu Christi

Rostochi[i]: Richelius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74000686X>

Druck Freier  Zugang



RU. Neoc 1656
(Mil.)

Müller, Heinrich

Vet.: Dolenius, Georg

Vet.: Laxenius, Johann

DISPUTATIO PHILOLOGICA
in secundam
CLINODII DAVIDICI
Quod continetur
in PSALMO XVI.

Partem,
Exhibens
TRIUMPHUM SAL-
VATORIS NOSTRI
JESU CHRISTI,

Quam

— — — — —

In Illustri & Celeberrima Varno-Balthicâ Academiâ
Suffragio Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
SUB PRÆSIDIO

VIRI

PLUR. REVERENDI ET CLARISSIMI

DN. HENRICI MÜLLERI

SS. Th. Doctorandi, Archidiaconi ad D. Mar. Rostochii
vigilantissimi, Fautoris & Promotoris sui apprime colendi,

In Auditorio Majori horis antemeridianis

Anni post orbem redemptum M DC. LVI. die XII Martii

Publicæ Eruditorum Examinis submitit

JOHANNES LASSENIUS,

Pomeranus, SS. Theol. & Phil. Cultor.

— (o) —

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typogr.

*SUMME REVERENDIS, EXCELLENTIS-
SIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
ET CLARISSIMIS VIRIS*

**DN. JOHANNI GEORGIO
DORSCHEO,**

SS. Theol. Doctori, ejusdemq; antehac in celebratissimâ
Argentoratensi, nunc verò, maximo omnium bonorum cum emo-
lumento in illustri Varniaca, P. P. primario, Ducalis Consi-
storii Assessori & Consiliario supremo gravissimo,
Theologo consummatissimo.

DN. CASPARO MAURITIO,

SS. Theol. D. ejusdemq; in almâ Rostochiensium Acade-
miâ P. P. ad D. Mar. Pastori primario, & Eccles. Rostoch.
Superintendenti merissimo.

DN. JOHANNI QVISTORPIO,

SS. Theol. D. ejusdemq; ibidem Professore Ordinario,
& Templi ad D. Jacobi Pastori summo fidelissimo.

DN. HINRICO RHANEN, J. U. D.

& P. P. famigeratissimo, nec non Consistorii Ducalis
Ecclesiastici Assessori dignissimo.

DN. HIERONYMO KOCH,

Juris Utriusque Doctori, benè merenti,
Omnibus & Singulis DNNNNN. Patronis,
Præceptoribus & respectivè Parentibus, debitâ obser-
vantia nunquam non colendis, Disputationem hanc, in gratissimi
animi signum, pietatis Documentum, & mei ipsius commendati-
onem, ea qua par est humanitate, cum devotissimâ omnigenâ,
quæ in Jesu nostro est Felicitatis appreciatione Sacram esse volo
Vester ad Obsequia & Preces

JOHANNES LASSENIUS, Pomcranus,
SS. Theol. & Phil. Stud.

CLINODII DAVIDICI,

Quod est in Psalmo XVI.

PARS ALTERA.

Versus Septimus:

אֲבָרַךְ אֶת-יְיָ אֱלֹהֵי אֲשֶׁר יַעֲצֵנִי אֶת-לִימֹרֵי יִסְרוּנִי כְּלוֹהֵרִי:

§ 1.

Sequitur jam altera pars Psalmi, quæ est Evcharistica, quæ Christus Deo Patri gratias agit, pro præstitis beneficiis. *Propositio est אֲבָרַךְ אֶת-יְיָ*. Ubi habes I. *objectum*, quod est יְהוָה, de quo nomine vide *Disp. II. in Psal. IX. 2. modum* s. formam, in verbo אֲבָרַךְ. DEO à nobis *benedicitur* cum agnoscimus & prædicamus ejus beneficia.

§. 2. *Propositio confirmatur ac amplificatur* per enumerationem beneficiorum à Patre præstitorum, quorum *quædam* passionem antecedunt, *quædam* comitantur, *quædam* insequuntur.

§. 3. Beneficia *passionem antecedentia* sunt triplicia. *Primum* exprimitur voce יַעֲצֵנִי & designat *consilium Dei*, s. intelligentiæ concessionem. Notat hæc phrasîs (1) instructionem, quæ pater celestis filium instruxit de voluntate suâ, deq; redemptionis opere peragendo, nec non de eventu passionis. Datum autem est hoc consilium Christo, *tum* per internam revelationem, clarâ visionem & intimum intuitum secretorum patris. *Joh. 1, 18. tum* per externam patefactionem *Luc. 9, 31.* (2) Per metalepsin Hebraicam, (quæ verba notitiæ affectum connotant,) ipsam consolationem & confortationem DEI in passionis cruciatibus sustinendis Christo præbitam. *Luc. 22, 43.* Huc refer locum *Esa. 53. v. 1. & 10.*

A

§. 4. Se-

§. 4. *Secundum* beneficium (qf.) Anti-Passionale est eruditio experimentalis, quæ ad primum, tanquam auctarium accessit, ut notat vocula פִּנְיָה. Ceterum hujus experimenti nota a formam, & causam organicam.

§. 5. *Forma* exprimitur verbo כָּסַף, quod in Piel significat, strenuè & vehementer castigavit, ac castigando erudit: נִדְּבַחְתָּ לָּאֵלֹהִים עֲבָדָי עַד מְאֹד וְעַד מְאֹד עַד מְאֹד. Es. 28, 19. Conf. Rom: 5, 4. Ubi castigatio dicitur operari דִּבְרֵי הַיָּדָיִם, sc. passivè sic dictam, b. e. experientiam, Jac. 1, 3.

§. 6. *Causa organica* est tristitia, anxietas & dolor, quem per metonymiam subjecti exprimit voce כְּרוּת. Nam cor magnam habet convenientiam cum renibus & substantiam parum à renum substantiâ differentem: undè compunctum, & in moerore fugiens cor attrahit ex splene lentum humorem melancholicum qui effusus in partes hypochondriacas renibus proximas, ingentes excitat dolores nephriticos, & alia quoque viscera affligit. Dices; renes Christi fuerunt sancti & immaculati. E. sunt expertes tristitiæ. Resp. Humana natura sentit luctam carnis adversus passionem, citrà tamen peccatum.

§. 7. Doloris magnitudo exaggeratur à circumstantia temporis nocturni, לַיְלָה. Nox enim passiones aggravat, Job. 4, 13. Psal. 91, 5. & Christi passio cum nocte cepit. Alij hic significari putant perpetuitatem dolorum, & explicant, usque ad noctem, sic etiam LXX. εἰς νύκτας. & Versio Vetus; usque ad noctem, sic ut particula εἰς & usque non exclusivè, sed inclusivè sumatur, & sensus sit diu noctibus, concatenato veluti dolore, me erudierunt.

Versus Octavus:

שׁוֹרְתֵי יְיָ לְגִדְרֵי הַמִּדְרָה כִּי מִיַּמֵּינוּ בָּל־אֲמוּסִים:

§. 8. Porro hæc duo beneficia amplificat ab effectu: שׁוֹרְתֵי

יְיָ לְגִדְרֵי הַמִּדְרָה Quæ phrasi notatur fiducia liberationis à Domino expectatæ, per metonym. signi: qui enim ab aliquo desiderant beneficium, frequenter oculos in eum convertunt. LXX. & ex

lii

is Petrus Act. 2, 27. habent ~~καρδίαν~~, quod Vulgatus reddit,
providebam. Lutherus in versione Ps. simpliciter; *ich habe den
Herrn vor Augen.* Sed in Act. 2. *ich habe den Herrn vor
gesetzt vor meinem Angesichte.*

§. 9. *Tertium* Beneficium Anti passionale est DEI presentissimum
auxilium ad sufferendam passionem, כִּי טִיטִי. Particula
αὐτολογική ἰ. Referenda est ad propositionem vers. 6. אָבִיר אֲתִי
Esse vel stare alicui à dextris apud Hebraeos usurpatur, tum in bo-
nam, tum in malam partem. In bonam partem significat, paratum
esse ad iuvandum & protegendum amicum; ut *b. l.* in malam par-
tem, paratum esse ad perdendum inimicum Psal. 109, 6.

§. 10. *Effectus* hujus beneficii est sustinentia cruciatuum pas-
sionalium, quam negativè ponit Psalmus, כִּלְכִל לִי LXX. &
Petrus expressius: *ὕψα μὴ σαλευθῶ*, ubi particula *ὕψα* hanc non-
commotionem tanquam effectum & eventum assistentiæ divinæ
facit, ibidemq; Lutherus *Auffdass ich nicht bewegt werde.* in
vers. Psalm. sensum exprimit, *ich werde wol bleiben*/sensus est:
rectè sequar voluntatem patris. Dissidentia proprium est decli-
nare, hinc inde moveri, & undiquaque auxilium emendicare:
huic opponitur positio Domini in conspectu. Ponere enim signifi-
cat fundamentum ac firmitudinem, ostendens fidei proprietatem,
quod sit *καρδίως*, & constanter promissis divinis inhæreat.

Versus Nonus:

לִכֵּן שָׂמַח לְבוֹ וּיְגַרְל כְּבוֹרִי אֶת־בְּשָׂרִי יִשְׂכּוֹן לְבַבִּי

§. 11. *Consequens* hujus beneficii est geminum, quo benedi-
ctio DEI antea posita veluti in partes distribuitur, ut complectatur
1. *internam cordis letitiam*, שָׂמַח לְבוֹ. Letitia autem hæc est
cultus internus spontaneus, cum vivificatione & consolatione
suavi conjunctus, quæ Christus incitatur, ut lubens suscipiat, quod
à patre ipsi injunctum est, redemptionis munus. 2. *Externam oris
confessionem* כְּבוֹרִי וּיְגַרְל LXX. & ex iis Petrus Act. 2, 26. γλῶσσά
μου. Vulgatus; *Lingua mea.* Lutherus in Actis; *meine Zunge*;
hic autem; *meine Ehre.* Lingvam, per metonym. destinati ad
finem,

finem, vocat gloriam suam, quia hoc sine est condita, ut DEUM glorificet, & in hoc ipso glorificandi opere summa hominis gloria consistit. Lingua exultat, quando cum hilaritate & exultatione celebrat. Ceterum, quæ sit vis ac emphasis verbi שמח & גור vid. *Disp. Nostr. 2. in Psal 9. §. 3.*

§. 12. Sequitur *Beneficium Passionale*, quod à nonnullis statuitur esse immunitas à corruptione, כשרי ושכן לבטח. Hic nota 1. Christus mortem suam vocat quietem, & ad differentiam mortis impiorum, quietem in spe sc. conservationis & resurrectionis ad gloriam. Hinc LXX. & Petrus in Actis, *ἡ εἰρήνη*, ibidemq; Lutherus, in *der Hoffnung* / Syrus, *כשרי ער* Vulgatus, Erasmus & Tremellius in Actis *in spe*, quod Beza improprium vocat, & vertit, *cum spe*. Pagninus, confidenter. 2. Quies hæc secundum nonnullos includit etiam *ἀσχηματισμὸν* carnis Christi. Et hanc verbis his intendi vult Latina Versio. Hic Tremellius *super Ps secure*; Lutherus; *Sicher* Sed, quia sequitur in *vers. 10. Non dabis* &c. præstat hæc beneficia distingvere, propter diversos status, de quibus hic & sequens versus loquuntur. Ideoq; censeo, his verbis notari felicem pausam & consummationem omnium infirmitatum, & totius exinanitionis factam per sepulturam Christi.

§. 13. *Subjectum* exinanitionis designatur voce כשרי & est caro, s. corpus Christi, quod quidem in se erat sanctum & immortale, sed tamen per dispensationem voluntariam, in mortem, mortisq; infirmitates, quæ mortis secutura sunt prodromi, traditum est. Hanc autem *ἀσχηματισμὸν* connotat verbum כשרי, quod significat, inhabitare tabernaculum, unde fortassis Græcum *οικω* ortum traxit, & LXX. *b. l.* quos sequitur Petrus. *Act. 2. 26.* vertunt, *οικω*. Nam *οικω* significat corpus infirmitatibus terrenis subjectum, sicut etiam apud Hippocratem hinc inde ponitur pro corpore. *Conf. 2. Cor. 5. 1. cum 6. 2. Pet. 1. 13. Job. 1. 14.*

Versus

Versus Decimus:

כי לנ-תעוב נפשי לשאור לנ-תתן חסידך
רצונו שחת:

§. 14. *Beneficium post-passionale Primum* est gloriosus descensus ad inferos לנ-תעוב נפשי לשאור. Hic nota (1) descensionis *subjectum*, (2) נפס s. *terminum*, (3) *beneficium* in illo נפס Christo praestitum.

§. 15. *Subjectum* est expressum voce נפש. Haec vox cum in fontibus varias habeat significationes, varie quoque ab Interpretibus est explicata. Nam (α) significat hominis partem principalem, quā vivit, vegetatur, sentit & intelligit *Gen. 2, 7.* (β) Per meton. effecti s. signi, ipsam vitam & anhelitum animalis *Tob. 12, 10.* (γ) Totum compositum, à parte potiori denominatum, s. personam hominis *Genes. 36, 6. Psalm. 78, 50. Act. 2, 41. c. 7, 14. Roman. 13, 1.* (δ) Abusivè, corpus mortuum & animā cassum *Lev. 19, 28.* Ubi rectè Lutherus, *umb eines Todten willen. cap. 21, 1. Num. 5, 2.* hic LXX. *ὄνομαζοντες τὸν ψυχῆν* nominant eum, qui est pollutus tactu cadaveris, quod Targumista Jonathan reddidit: *Pollutus ad ossa anime mortis.* Conf. *Num. 6, 6.* ubi LXX. rectè, *τὸν ψυχῆν περιεσθίοντες.*

§. 16. Piscator Herborensis in *Anal. Act. 2.* & Drusius in *praeritis super illud cap.* ultimam significationem huc accommodant, & vertunt: *Corpus meum exanime*, idq; quia vocem נפש de sepulcro exponunt. Verùm abusus hic significatus non nisi de funerum curatione & praestando ultimo pietatis officio in sacris reperitur: hic autem non agitur de funere Christi. Multò minus vox Græca, quā Petrus *Act. 2.* utitur, de corpore exanimi unquam usurpata reperitur. Quare valdè impudens est Theodorus Beza, quando in 1. edit. *N. T. Anno 1556.* audacissimè vertit, *cadaver meum.* Licet enim de aliis hominum mortuorum corporibus dici possit, quod sint cadavera, quia habent aptitudinem ad putredinem & incinerationem passivam, tamen de Christi corpore nequaquam dici potest, sicut etiam Lombardus hanc appellationem

in mysterio de Christi morte explodit. Nam 1. Cadaver dicitur, quod vel violentiæ impulsu inevitabili, vel morbi vehementiâ, peccati in hærentis merito moritur. Christus autem moritur ultro & per liberam dispensationem *Job. 10, 18.* 2. Omne cadaver habet potentiam putrescendi propter connatam carni corruptionem, quæ subsecuta est ex lapsu: Hinc corpus hominis, quamprimum cum animâ calor natus excedit, instar aliorum corporum ab externo calore ad putredinem disponitur. Talem putrescendi *Subditum* non habet corpus Christi, quia est sanctum: hinc mox sequitur: *non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Corpus Christi mortui subsistit in *Νῦν*, adeoq; non potest putrescere. Quamvis autem postea Beza hoc nomine à Flacio & Castellione reprehensus, correxerit hanc versionem, *in edit. ann. 1565. & 1589.* substitutâ hæc in ejus locum: *non relinques animam meam apud inferos:* tamen in scholiis additis constanter asserit, se antea rectè interpretatum esse, eumq; esse sensum simplicissimum. Argumenta autem quibus adstruere nititur hanc sententiam, sunt duo potissimum 1. desumptum est ab etymologiâ: Quodcumque *Νῦν* i. cadit, ita ut resurgere opus habeat, id rectè dicitur *Νῦν* i. cadaver. Atqui, corpus Christi &c. E. &c. Resp. ad *Maj.* Quicquid cadit, ita ut sit putrescibile &c. 2. Ex loco *Matth. 24, 28.* ubi Christus seipsum comparat *Νῦν*. Resp. aliud est, propriè esse cadaver, aliud; parabolicè comparari cum cadavere. Fuit allegoricum Proverbium, quod Christus adventui suo accommodat.

§ 17. Pleriqve Patres primam significationem huic loco accommodant, & statuunt, Christum secundum animam tantum descendisse ad inferos. Quam litem hæc vice nostram non facimus.

§ 18. Secundam adfert Beza in Scholiis, atqve adstruit *Mornæus l. 3. de miss. c. 8.* ex *Theodoro in Psal. 42.* Verum, quia hi Autores per *Νῦν* intelligunt sepulcrum, quomodo sodes vox *Νῦν* prout vitam significat, potest stare cum sepulcro? quomodo vita dicitur sepulta? Nos negamus, & in exemplis, quæ à Beza afferuntur, dicimus, per animam non significari vitam sed personam.

§ 19. Quare

§. 19. *Quare nos amplectimur tertiam vocis significatio-*
nem, quâ anima sumitur pro personâ. Neque est ut urgeatur op-
positio inter carnem (vers. antec.) & animam. (b. v.) Nam non
sunt uniusmodi beneficia, de quibus versus hi loquuntur: illud
passionale; hoc postpassionale.

§. 20. *Descensionis π̄ determinatur voce ἵνυ. Vox*
hæc varia habet significata, quæ tamen omnia ad 3. classes redigi
possunt, pro trinâ diversitate beneficiorum, quæ Christus b. l. sibi
præstita esse celebrat. Alia enim significata pertinent ad τὸ πρὸ
ἡρώδω s. antecedentia mortis, quæ sunt cruciatus animæ & cor-
poris, & pericula, vel ipsam mortem causantia, vel certe tam gra-
via, ut mors præ ipsis eligenda sit. 1. Sam. 2, 6. Psal. 18, 5. 6. Pf. 86, 13.
Dices; in his locis infernus propriè dictus intelligendus est. Resp.
Reclamat ᾱ æquipollentia vocum additarum, mortificationis,
mortis dolorum &c. β̄ addita liberatio ex inferno: ex inferno
autem qui est locus damnatorum, non datur liberatio. Alia per-
tinent ad μέω mortis, & sic usurpatur vel de ipsâ morte Psal. 89.
v. 49. vel de sepulcro Job. 14, 13. 14. vel de eo, quod sepulcri mortu-
orum instar est Jon. 2, 2. vel de statu mortuorum omnibus com-
muni Genes. 42, 38. Psalm. 94, 17. Propterea malè carpunt Lu-
therum Gretserus & Paræus, quod in c. 42. Gen. scripserit: sicuti
commune est sepulcrum tam piis, quam impiis: ita & ἵνυ. Nam
loquitur Lutherus de communi transitu animarum ex præsentî
peregrinatione, de quo sermo est Jos. 23, 14. Aliud autem est re-
ceptaculum transeundi, s. via ad alium statum; aliud, receptacu-
lum commemorandi: illud commune est & unum; hoc geminum,
divortis magnis disternatum Luc. 16. Dices; & hic infernus
sumitur propriè. Resp. aliud svadet, tum universalitas descensus
hujus in infernum Psal. 89. etiam piis competentis Gen. 38, 42. tum
æquipollentes voces Job. 17. tum adjuncta, tum antecedentia Psal.
49. v. 17. Alia denique pertinent ad ἐπιμύα mortis, & norant
locum damnatorum Psal. 31, 18. Es. 28, 18. L X X. ut & Petrus Act. 2.
usurpant vocabulum ἄδης, quod similiter trifariam sumitur, ac
norat dolores infernales & pericula mortifera Apoc. 20, 14. β̄ se-
pulcrum.

pulcrum *Jov. 2, 3. 1. Reg. 2, 6. Psal. 89, 49.* γ locum damnatorum
Luc. 16.

§. 21. Hoc loco postremus **אָנָשׁ** significatus obtinet. Nam de sepulcro & statu mortuorum jam antea locutus est David: **בשרי ישכן לבטח.** (ubi vox **לבטח** excludit dolores infernales, quibus ante sepulturam finis est impositus, & de quibus dixerat: *noctu erudierunt me renes mei*) Nec obstat, quod nonnemo objicit, in textu Hebræo **אָנָשׁ** positum esse cum præfixo **אֵי** non **אֵי** quod propriè notat existentiam in loco s. ubi: **אֵי** autem sit Dativi casus nota, non locale. *Resp.* Particula **אֵי** nonnunquam usurpatur pro **אֵי** & dicit existentiam rei in aliquo *Os. 7, 2. Gen. 4.* quod observavit Drusius *l. 2. c. 7. de literis Moschevecaleb* ubi hunc ipsum Psalmi versum exempli loco adducit. Ideò & Petrus *Act. 2, 27.* præfixum illud reddit per præposit. **אֵי**, usurpatam solenni enallage pro **אֵי**: **אֵי אֵדָם** sc. **δῶμα**, pro, **ἐν αἵδῃ δῶματι**. Et *LXX. b. l. אֵי אֵדָם*, pro **אֵי**.

§. 22. Beneficium ipsum est glorificatio Christi in descensu ad inferos, **לִיְהוָה עֲוֹנוֹתָי**. Verbum Hebræum significat, deserere eum, quem quis tueri aut juvare poterat. Hoc verbum Christus de se usurpat *Psal. 22, 1.* & redditur ab Evangelistis, *Matth. 27, 47. Marc. 15, 34.* ut & à *LXX. b. l.* per **ἐγκαταλείπειν**, quod significat, relinquere aliquem in angore profundissimo, ex quo velut ex luto denissimo illi est eluctandum. *Conf. Rom. 9, 29. 2. Cor. 4, 9. 2. Tim. 4, 16. Hebr. 13, 5.* Vide *Disp. nost. super Ps. 22.* Significat hoc verbum de Christo usurpatum quietem **שָׁלוֹם** in assumptâ carne, vim dolorificam & mortem s. exinanitionem Christi non averruncantis. Hoc loco autem præpositâ particulâ negandi **לֹא** negatur exinanitio, atque sic notatur status exaltationis in descensu Christi ad inferos: non enim ad infernum descendit Christus per modum destructionis & succumbentiæ, sicut impii *Matth. 11, 23. Luc. 11, 15.* Sed per modum dominii & in statu gloriæ, non ut ibi pateretur, sed ut spoliaret infernum, & captivitatem captivaret *Psal. 86. Conf. 1. Pet. 3, 18. 19.* Proindè hæc verba Christi **לִיְהוָה עֲוֹנוֹתָי** non sunt dolentis,

doientis, & in doloribus liberationem optantis, sed certò defini-
entis ac prædicentis glorificationem suam post mortem & sepul-
turam, simulac vivificatus esset. Cur autem Spiritus S. negativè
hunc exaltationis gradum voluerit eloqui, eleganter exponit Lu-
therus in *comm. super h. Pf.* inquam: istæ negativæ vehementiores
sunt affirmativis, & firmitus resurrectionem testantur &c. sicut,
cum dicitur *Luc. 10.* Maria elegit optimam partem, quæ ab eâ
non auferetur *h. e.* certissima manebit. Sic *h. l.* non derelinques,
h. e. velocissimè reduces.

§. 23. Frustrà ergò sunt Beza in *Scholiis ad Act. 2.* Drusius in
præteritis super Act. 2. Mornæus *l. 2. de sacr. Miss. c. 8.* Lavaterus *l. 1.*
de descens. Chr. ad inf. p. 2. c. 6. & Marcus Antonius de Dominis
l. 5. de Rep. Christ. c. 6. qui non-derelictionem hanc in inferno, ex-
ponunt de liberatione ex sepulcro. Sed 1. Ubi Christus dereli-
ctus s. exinanitus fuit, ibi non potest dici non-derelictus. Atqui
in sepulcro &c. E. &c. 2. Non-derelictio in inferno adscribitur
נפש s. animæ, h. e. personæ Christi secundùm totam humani-
tatem, s. carnem animatam. Liberatio autem ex sepulcro pro-
priè non concernit animam, quia anima non fuit mortua. Di-
ces; Quem DEUS suscitavit, λύσας dolores mortis, is dicitur
non-derelinqui in inferno, quatenus talis. *Act. 2, 24.* Chri-
stus &c. E. &c. *Resp.* Non rectè discernuntur membra paralle-
lismi, nec Petro solvere dolores mortis, & non-derelinquere in
inferno tantundem significant. Dolores mortis Petrus vocat
dolores mortiferos, s. dolores infernales mortem intentantes
Psal. 18, 5. 6. ubi David conjungit חבלי שאור & חבלי מור.
Hic nervosè Chaldaus: עקפתני עקני כאהנת ריחבני על
מהברא וחירי לית ליה למילר והיית מסכננת לממת
Circumdedit me angustia, sicut mulieris, quæ sedet in partu, &c. quod
congruit cum Petro, qui habet πῆξ ὠδίνας, quæ vox aliàs usur-
patur de doloribus parturientium, qui sunt tenerrimi & vehe-
mentissimi. Quare *h. l.* convenient, dolores mortis, & dolores

B

inferni.

infernī. Unde & Syriaca Versio pro voce *Ἰανάρτ* substituūt
 ܐܢܘܪܐ scetiam Latina Vetus habet; *Dolores inferni*. Et Ste-
 phanus in quādam editione veteri ad marginem notat, in exem-
 plari quodam Italico haberi *ādās*, pro *Ἰανάρτ*. Sensus idem est,
 si infernus non accipiatur pro loco damnatorum, sed, pro dolori-
 bus infernalibus mortiferis. Atque huc optimē quadrat nomen
 ܐܕܝܘܐ quod reperimus in *Psal. 18*. Hoc enim commodē expri-
 mitur per *ādīvas*, quia est à ܐܕܝܘܐ quod significat, *ligavit, con-*
strinxit: Adeoq; notat dolores inftar funis aut laquei fortissime
 constringentes & coarctantes, quales solent esse parturientium.
 Atque sic dolores mortis Petro in Actis sunt cruciatus mortiferi,
 vel mors ipsa cum doloribus talibus conjuncta s. plena doloribus,
 sicut abominatio vastationis *Matth. 24, 25*. est abominanda vasta-
 tio. *Solvere dolores mortis*, est metaphōrica locutio, haud dubiē
 petita à consuetudine Judaeorum, qui defunctorum corpora fasci-
 is ligabant, ut in historia Lazari, quem Christus resuscitaturus
 jubet solvere, legitur. Idem corpori Christi factum meminit
Matthæus. c. 26. Solutio ipsa facta est antē descensum Christi ad
 inferos, per liberationem ex variis doloribus mortiferis, & deni-
 que per ipsam *Ἰωάννησαν*, ut rectē docet Chrysostrōmus *Homil. 6.*
in Act. 2.

§. 24. Frustrā quoque est Flacius in *clav. Script. sub tit. Infer-*
ni, quando per ܐܢܘܪܐ intelligit locum damnatorum, & non-
 derelictionem explicat de liberatione ex doloribus, quos in loco
 damnatorum Christus sit passus. Contrariatur hæc glossa fini
 descensionis Christi ad inferos *Os. 13, 14. 1. Cor. 15. Psal. 68, 19. Col. 2.*
v. 15. 1. Pet. 3. (ubi est verbum *κατέβησαν*, quod de præcone usurpa-
 tum, significat citare & qf. in jus vocare partem adversam pro-
 mulgando edictum, item; in theatris pronuntiare silentium, & eas,
 quæ sub hasta vendebantur merces, auctionari.) *Dices*; Si Chri-
 stus plenē pro nobis satisfecit, etiam in loco damnatorum poenas
 infernales sustinuit. *Resp.* Dist. inter rem passionis & passio-
 nis modum: inter gradum intensiōnis & extensiōnis.

§. 25. Se-

§. 22. *Secundum* beneficium Christo post mortem exhibitum, est immunitas à corruptione sepulchrali **לִּיתְּתוֹן חֲסִידִים לְרֵאוּתוֹ שְׁחָרָה** & rectissime sequitur non-derelictionem in inferno: *ἀφθαρσία* enim protenus cohaeret cum ostenso effectu descensionis ad inferos, h. e. cum victoriâ à Sathanâ reportatâ. Eundem ordinem servat Paulus de corpore Christi mystico, *1. Cor. 15, 33.* Ubi cum *ἀφθαρσία* gloriosâ conjungit victoriam mortis & inferni, quam Christus virtute sui ad inferos descensus credentibus potenter applicat. *Oportet hoc corruptibile induere ἀφθαρσίας &c cum autem hoc corruptum induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem: fiet tunc illud, quod scriptum est: absorpta est mors in victoriam, ubi tuus, ô mors, stimulus? ubi tua, inferne, victoria? Ceterum circa hoc membrum consideramus 1. Subjectum s. personam, cui beneficium exhibetur 2. ipsum beneficium, ejusq; objectum & causam efficientem.*

§. 26. Beneficiarius est Christus secundum carnem. Christus s. Persona est subjectum quod; humana verò natura subjectum quo. Totus Christus incorruptibilitatem accepit, ut docent Augustinus *T. 6. conf. Felic. c. 24.* Lombardus *l. 3. dist. 22. qv. 3.* non tamen secundum totum sui, sed saltem secundum carnem: hinc Petrus carnis expressam facit mentionem *Act. 2, 31.* Ipsa autem Persona *h. l.* dicitur **חֲסִיד**. Vox Hebraica notat *pium, probum, benignum, s. beneficium.* In specie dicti sunt posteri Jonathabi, filii Rechab, qui suâ pietate & religione DEO serviebant. Christus est pius ille, qui voluntatem Patris faciens beneficus fuit in suos. Interpretes vertunt: **ἡ ὁσιον**, quæ appellatio explicat (1) unitatem hypostaticam in duabus Christi naturis, & ostendit, hunc filium Mariæ esse illum, qui naturâ est sanctus (2) originalem sanctitatem humanæ naturæ *Luc. 1, 35.* (3) Officium, quo factus est nobis sanctificatio *1. Cor. 1.* Dicitur autem sanctus DEI, *tum* propter unionem personalem, quia cum hoc homine

est unitus DEUS per naturam sanctus: *tum* propter ordinationem ad officium in sanctificatione generis humani subeundum. Græcorum Articulus pro emphatico haberi potest, ut notet eum, qui *ὁ εἰς ἑξῆς*, singularissimo & eminentissimo modo, per essentialiam ac cum irrectitudinis impossibilitate Sanctus sit, quem Daniel c. 9. appellat Sanctum Sanctorum.

§. 27. Ipsum *beneficium* est privativum, ideoq; insinuat & malum, (exclusivè) & immunitatem ab isto malo. Malum est *חַרְתָּ חַרְתָּ* *visio corruptionis*, s. corruptio. *Videre* sæpè per Metaphoram significat *experiri*, & quando de remalâ sermo est, pati *Psal. 89, 51. Luc. 2, 26. Thren. 3, 1.* cum verò de re bonâ dicitur, tunc notat tale experimentum, quod in gratâ fruitione consistit *Psal. 49.* Hinc videre corruptionem est pati corruptionem, corrumpi; Sic Lutherus, *verwesen.* LXX. verò & Lucas in Actis sequuntur Hebraismum, ubi etiam Lutherus vertit, *die Verwesung sehen.* Corruptionis autem vox h. l. notat interitum per incinerationem & atrosionem vermium. In Hebr. est *חַרְתָּ*, quod notat *tum* corruptionem, interitum: *tum* per Metonym. adjuncti vel effecti foveam, in quâ sit corruptio aëris vel cadaveris sepulti. Ideò nonnulli Interpretes exponunt: *non dabis sanctum tuum videre foveam corruptionis.* Sed hæc significatio hîc exfulat, quia Christus, quamvis non est corruptus, vidit tamen corruptionis foveam, *h. e.* sepulcrum. Propriè hîc est accipienda vox, sicut & LXX. & ex iis Apostoli reddiderunt, *ἀποψεύσθαι*, Lutherus, *verwesen.* Dices; Paulus non concordat secum in Actis, ut patet conferenti *v. 37. Act. 13.* cum *v. 34.* Nam *vers. 34.* inquit, Christum, postquam resurrexit à morte, non esse reversurum *eis ἀποψεύσθαι.* Qui autem non debet *reverti*, is, necesse est, antea fuerit in illo *πρὸς* vel statu, in quem non debet reverti: Sed *vers. 37.* dicit, Christum non vidisse *ἀποψεύσθαι.* Resp. Drusus & alii per vocem corruptionis in *vers. 34.* intelligunt sepulcrum: in *vers. 37.* putredinem & corruptionem sepulcralem. Sed vox

חַרְתָּ

ΝΙΜ nunquam significat foveam simpliciter, sed foveam corruptam
 pentem ac putredinem efficientem. Verum Nos distingvimus
 cum Nicephoro *l. 17. c. 29.* & Damasceno *l. 3. de O. F. c. 28.* inter cor-
 ruptionem, quæ fit per voluntariam passionum humanarum (sitis,
 famis, angoris &c.) susceptionem ac separationem animæ; &
 eam, quæ fit per resolutionem perfectam in cineres s. elementa.
 Juxta priorem (non posteriorem) sensum Christi corpus sensit cor-
 ruptionem, quod acriter defendisse Patres Orthodoxos adversus
 Aphtardocitarum (qui exinde nomen habent, quod docuerunt, &
 carnem Christi incorruptibilem esse, & Christum *δοκῆσθαι* & *ἐκ*
ἀληθείας passum ac mortuum esse. Quod si concedatur, *δοκῆσθαι*
 opplebitur totum Oeconomix mysterium: *δοκῆσθαι* Christus fa-
 ctus fuisset homo; *δοκῆσθαι* nos per Christum salvaremur, non
ἀληθείας) hæresin, prodit Leontius *in lib. de sectis*. Isidorus
l. 8. Orig. c. 5. & Damascenus *l. c.* de priori loquitur Paulus *l. c. v. 34.*
 de posteriori *v. 37.* Athanasius *in tract. de defin. Tom. 2.* distingvit
 inter *Φθορὰν*, s. mortem, *Διαφθορὰν* s. corruptionem, & *κα-*
ταφθορὰν s. interitum. *Φθορὰν* sic describit: *τὸ χωρηθῆναι*
τῷ ψυχῷ ἐκ τῆς σώματος, & ἀποθανεῖν. Postea *Διαφθορὰν*
h. m. ὅταν τὸ σῶμα βρωθῆ ὑπὸ τῶν σαρκῶν, & μόνον καταλει-
φθῶσι τὰ ὀστά. Denique *καταφθορὰν* his verbis: *ὅταν σαπῶσι*
& αὐτὰ τὰ ὀστά & διαπνηθῶσιν, & εἰς μὴ ὄν χωρήσωσι πνιπ-
τως. Christo autem solam *Φθορὰν* convenire rectè statuit,
 quicquid aliàs sit de illâ distinctione. Nam Paulus vocem
Διαφθορᾶς etiam de morte Christi usurpat, quam Syrus & Arabs
 Interpres exprimit voce aliquâ, quæ apud Hebræos significat talem
 perditionem, quæ alicui rei finem imponit, quod Christo contigit
 per mortem, & optimè quadrat ad illa verba, quæ Salvator in cru-
 ce protulit, *consummatum est.* Atque de hac corruptione loqui-
 tur Paulus, quando ait: Christum non amplius reversurum esse
 in corruptionem. Nam reverâ subiit hanc *Διαφθορὰν*, sic ta-
 men, ut post resurrectionem ab illâ planè sit immunis, & quoad
 actum, & quoad potentiam.

§. 28. Immunitatem ab hâc corruptione sepulchrali Paulus *Act. 13.* vocat non-corruptionem. Psalmus noster eam describit à causâ efficiente, quæ est divina impeditio, לֹא נִתְּנָה לָנוּ non permisses, sed impediens. Quam impeditionem requirebat, tùm summa sanctitas corporis Christi, tùm אֱלֹהִים unio personalis.

Versus Undecimus:

חודיעני ארח חיים שבע שמחות ארץ-פניך נעמור
כימיך נצח:

§. 29. *Tertium* beneficium qf. post-passionale est vivificatio, s. productio ad vitam. Hujus commemoratur tùm causa efficiens, tùm modus, tùm qualitas s. conditio.

§. 30. *Causa efficiens* est Jhovah *vers. 8.* de quo dicitur חודיעני ירע significat, *scivit, expertus est.* Proindè Christus hic intelligit efficientiam experimenti, quo ut homo vivificationem sui expertus est, & reipsâ perfenit jucunditates vitæ celestis subsequas. Est Metaphora ducta à viatoribus, quibus viæ ignaris præitur: sic etiam Christus viam vitæ celestis experimentaliter, ut Lutherus loquitur, & quoad plenum usum statui exaltationis competentem, nondum novérat in statu exinanitionis. *Conf. Job. 14, 6.*

§. 31. *Modus* vivificationis indicatur verbis ארח חיים. Quibus vocibus denotatur (1) terminus ad quem. In Hebræo est חיים, quod licet plurale tantum sit, includit tamen plures gradus vitæ, ut ארח חיים fit qf. via vitarum, sicut etiam Arias Montanus vertit. Christus enim post mortem recuperavit vitam naturalem, & quoad experimentum plenarium ac universale celestem. (2) Voce ארח *viz.* notantur diversi gradus exaltationis & gloriæ quod innuunt LXX. & Apostolus *Act. 2, 28.* cum nomen singulare reddunt pluraliter ארצות, propter diversa documenta vitæ, quæ Christus in diversis ארצות exhibuit.

§. 32. Pri-

§. 32. Primum iter Christi fuit ad inferos, 1. Pet. 3, 18. 19. Alterum ad auras superas per resurrectionem, in quo iterum vivum se exhibuit Act. 1, 3. 4. c. 2, 31. 33. Tertium iter Christi vivificari est visibilis adscensio in celum Act. 1, 11. Quartum est metaphorice, quo ascendit supra omnes celos, & sedet ad dextram DEI Ephes. 4, 8.

§. 33. *Conditio vitæ celestis est gloria finita & simul infinita. De gloria finita loquuntur verba Psalmi: שבע שמחה אוד פניך.* Ubi notetur diversitas syntaxeos, quam Interpretes in versione horum verborum adhibent. Alii referunt ad verbum תוריעני scire me facis plenitudinem letitiarum. Alii per nominativum exponunt subintellecto verbo substantivo, quo Hebræi carent: *Plenitudo letitiarum sc. est contra facie tua.* Et sic Lutherus: *Sür die ist Freude die Fülle.* LXX. verò quos etiam sequitur Petrus Act. 2. tertium quidem nomen habent pro Nominativo, in dextrâ tuâ jucunditates sc. sunt: secundum autem pro Accusativo vel Dativo, & interserunt verbum *ἀληψίστες*, sed de sensu nihil decedit, s. hæc, s. illa versio retineatur. Describitur autem finita gloria (1) *ab effectu*, qui est *latificatio*, eaq; amplificatur à perfectione gaudii, *tum quoad gradus, tum quoad partes.* *Perfectio graduum* indicatur voce ערב Esai. 60, 18. Apocal. 21, 22. Eleganter Augustinus: Facilius dicere possumus, quid non sit in vita æterna, quàm quid ibi sit: non est ibi mors, non luctus, non lassitudo, non infirmitas, non fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla molestia, nulla tristitia. Ecce diximus, quid ibi non sit. Quid autem sit, vis nosse? hoc nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit. *Perfectio partium* designatur nomine multitudinis, מרחוק. Non enim est unius generis gaudium, sed multiplex, quod nec potest mensurari, nec numerari, nec terminari. Erit ibi, ut Prosper ait l. 3. de vit. contempl. omnium bonorum plenitudo, beatitudo perfecta, salus plena, corruptibilitas nulla & immortalitas beata, certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, amor perfectus, timor nullus, alacer motus & unus omnium Spiritus.

Spiritus. (2) *A causa efficiente*, quæ est clara DEI visio, אהר פניך.
Facies DEO tributa notat, vel generatim DEI præsentiam *Exod.*
34. v. 11. vel DEI essentiam, vel DEI gratiam, *Num.* 6, 25. vel ita u.
Phrasis geminata, à facie ad faciem, notat vel familiarem revela-
tionem mysteriorum DEI in hac vitâ *Exod.* 33, 11. *Num.* 14, 14. *Deut.*
5. v. 4. vel in alterâ vitâ notitiam DEI intuitivam, & sic *b. l.* sumi-
tur. Hujus vitæ spirituale gaudium est lætitia ænigmatis; futu-
ræ, lætitia vultûs.

§. 34. *Infinite gloriæ mentio fit in verbis* נעמור בימנך נצח.
Hic nota (1) ipsa dona infinita, quæ vocantur נעמור
b. e. Latino Interprete vertente, *decores*, quo sensu dona infinita
carni Christi communicata à Patribus Græcis passim vocantur
ἀρχιματῶν. (2) Donorum qualitatem, quæ est infinitas; con-
feruntur enim à dextrâ DEI Phrasis hæc determinatè accipien-
da est, prout ad eam sedet Christus secundum humanam
naturam. (3) Duratio, significata vo-
ce נצח *Dan.* 12, 3.


DEO sit Gloria!



Verbera, crux præeunt, sequitur mox gloria JESU!
Gloria, quæ nulla sit peritura modo.
Insta LASSENI, divino flamine motus,
Cruce aperit cœlum: nubila Febus amat.

L. M. Q.

P R Æ S E S.



Indoluisse DEUM, tectum jacuisse Sepulchro,
Differis, & vitam deseruisse suam.
Surrexisset tamen Dominum, clarumq; triumpho
Ingressum in vitam. Nam via nota fuit.
Aureolus Davidis habet, jam pondera Psalmi
Expendis, dicat Spiritus ista DEI.
Sic prompta mentis vires circa omnia versas,
Sedulitas patet hinc, ingeniumq; Tuum.
Floret opus crescitq; Tuum, feliciter instas,
Et tua jam circum tempora laurus eat.

Hoc amicitiae Symbolum Pereximio

Dn. Respondenti

f.

M. Isaacus Faustius,
Argentoratensis.



Erue, LASSENI, porrò Cimelia: virgâ
Non ea Mercurij: sed verbi lumine: quam tu,
Securam quicunqve cupis traducere vitam,
Pectore fer medio; capies mox gaudia, vitam,
Atque voluptatem veram, dulcemq; quietem.
Nesciet aeternum mens eluctata dolores.

Eximio Dno Resp. L. M. Q. f.

Johannes Hardenius, Islebiâ Saxo.

Schaw

Schau dein H E R Z A M D / wehrter Gönner / hat gelämpfet
und gefieget /
Daß der Feind / der Menschen frisset / mit dem Satan unenlloget ;

J E S U S selbst / ein tapfer Streiter / schützet hie sein edles Blut
Mit der Seelen von sich abe / thu das alles ans zu gut /

Wann der Edle Geist im Tode / in der Höllen nicht tan bleiben /

Noch die Ier des schönen Leibes in der Erden Staub bekleben /

Sondern nimpt erfrische Kräfte / Geist und Leben wieder an /

Folget und verfolget die Feinde biß zur Höllen heißen Pflanz /

Da Er sie ergreiffe und bindet und erhält die Sieges - Krone /


Die Er seinen Krieges - Leuten / seinen Rittern gebe zu Lohne.

Du auch streiffest / wehrter Gönner / hier in wie ein Ritter heutz

Drumb / siß doch / dein J E S U S reicher seine Krone dir zur Deu.

Dem Herren Antwortendern
seine Pflicht und Willfährigkeit zu bezeugen /
seye dieses

Melchior von Essen.



HActenus haud laße studia, optatissime, sancta
L A S S E N I, ast alacri mente manuq; colis.

Pergito, sic referes dignissima præmia: pienâ

Mularum Cultor quæ feret inde manu.

Si D E U S in multos te conservaverit annos?


Præstabis patriæ commoda multa tuæ.

Doctissimo Domino Respondenti Commensali
suo percharo, paucula hæc votivo ca-
lamo adjecit

Ernestus Ramell,

Nob. Pomer.





§. 32. Primum iter Christi fuit ad inferos
Alterum ad auras superas per resurrectionem, in
vum se exhibuit *Act. 1, 3. 4. c. 2, 31. 33.* Tertium ite
cati est visibilis adscensio in celum *Act. 1, 11. II.* Q
raphoricum, quo ascendit supra omnes celos, & sed
DEI *Ephes. 4, 8.*

§. 33. *Canditio vitæ celestis est gloria finita &*
De gloria finita loquuntur verba Psalmi: קָדְשׁוֹתֵינוּ
Ubi notetur diversitas syntaxeos, quam Interpre
horum verborum adhibent. *Alii referunt ad ve*
scire me facis plenitudinem letitiarum. *Alii per no*
ponunt subintellecto verbo substantivo, quo Hebra
nitudo letitiarum sc. est comm facie sua. Et sic Luth
ist Freude die Sülle. LXX. verò quos etiam
Act. 2 tertium quidem nomen habent pro Nomina
tua jucunditates sc. sunt: secundum autem pro Accu
tivo, & interferunt verbum *אֲנִי שָׂשׂוֹנִים*, sed de sensu
f. hæc, f. illa versio retineatur. Describitur autem si
ab effectu, qui est latificatio, eaq; amplificatur à perf
tum quoad gradus, tum quoad partes. *Perfectio ga*
tur voce *שָׂשׂוֹנִים* *Esa. 60, 18. Apocal. 21, 22.* Eleganti
Facilius dicere possumus, quid non sit in vita æter
ibi sit: non est ibi mors, non luctus, non lassitudo
tas, non fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corrup
digentia, nulla molestia, nulla tristitia. Ecce dixi
non sit. Quid autem sit, vis nosse? hoc nec oculus
audivit, nec in cor hominis descendit. *Perfectio par*
nomine multitudinis, *שְׂמֵחִים*. Non enim est uni
dium, sed multiplex, quod nec potest mensurari, i
nec terminari. Erit ibi, ut Prosper ait *l. 3. de vit. cont*
bonorum plenitudo, beatitudo perfecta, salus plena
litas nulla & immortalitas beata, certa securitas, se
litas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, fe
amor perfectus, timor nullus, alacer motus & u

